

## IN TEMPORE UNIVERSALIS CONTAGII

Hæc Missa celebrari potest, iuxta rubricas Missarum et Orationum pro variis necessitatibus vel ad diversa, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

### Ant. ad introitum

Is 53, 4

Vere languóres nostros ipse tulit  
et dolóres nostros ipse portávit.

### Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,  
in omni perículo singuláre præsidium,  
qui filios tuos in tribulatióne fide supplicántes exáudis,  
nobis propitiáre benígnus, et præsta, quæsumus,  
defúntis réquiem ætérrnam, solámen plorántibus,  
salútem infirmis, moriéntibus pacem,  
operántibus pro fratrum sanitáte robur,  
spíritum sapiéntiæ illis qui nos in potestáte moderántur,  
et ánimum ad omnes benévole accedéndi  
ut cuncti nomen sanctum tuum glorificáre valeámus.  
Per Dóminum.

### Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera quæ,  
in hodiérrnis perículis, tibi offérimus,  
et fac, quæsumus, ut, omnipoténtia tua,  
in fontem sanitátis pacisque convertántur.  
Per Christum.

### Ant. ad communionem

Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis,  
et ego reficiam vos, dicit Dóminus.

### Post communionem

Deus, a quo recépimus  
vitæ ætérrnæ medicínam,  
concéde, quæsumus, ut, per hoc sacraméntum  
de cæléstis remédii plenitúdine gloriémur.  
Per Christum.

### Oratio super populum

Protéctor in te sperántium, Deus,  
bénedic pópulum tuum, salva, tuére, dispóne,  
ut, a peccátis liber, ab hoste secúrus,  
in tuo semper amóre perseveret.  
Per Christum.